

De THEOLOGIA.

9

cam, si accuratè & propriè loqui velimus; Ultimus enim actus specificat. Iam vero Theologia Christiana in hac vita(quam hic definitum & explicatum est) est practica, quia omnis ejus cognitio, & omne γνῶσθαι ex se & per se ad praxin ordinatur, & à cognitione incipiendo in praxi definit, praxi scil. resipiscentiae, fidei, spei, caritatis, consolationis in vita & in morte. Hinc dicitur veritas & doctrina secundum pietatem 1. Timoth. 6. Tit. 1. Posset etiam addi, eam methodo analyticâ tractari: quod est proprium scientiæ practicæ. Et sic judiciale & doctè nostra Catechesis: quidquid Remonstrantes ex genio Theologiæ suæ, & ex contentione contra Catechesin nostram, ordinem hunc in suâ Catechesi invertant; fere eadem dexteritate, qua Piccolomineus ex contentione contra Zabarellam, suum in Gymnasio Patavino collegam, Ethicam suam ordine synthetico conscripsit, media præmittendo, & finem ad finem (lib. scil. 10. & ultimum) relegando. Sed hæc cum ἀντιβεῖας ἐνεκεν pro meo iudicio liberè communico, nolim quidquam detrahere summis Theologis Fr. Iunio, & Fr. Gomaro, qui cum Scolasticis hic sentiunt; & quorum posterior à Remonstrantibus eo nomine, sed immerito, vapular. Illi enim Theologiam definiunt & considerant & hujus & futuræ vitæ tanquam unam copulativam, nos autem cum Catechesi nostra respicimus solum theologiam viatorum.

§ 3. Atq; hæc problemata de definito, & genere. Sequuntur de differentia, quæ ex notionibus subjecti, objecti, efficiētis seu principii, & finis desumitur.

VIII. Probl. An Theologiæ Christianæ subjectum quod seu adequatum sit solus electus & regenitus? Resp.

B

Neg.